

Brüder Grimm | Erat olim ...

Brüder Grimm

Erat olim ...

Die 12 schönsten Märchen auf Lateinisch

Lateinisch / Deutsch

Ausgewählt und übersetzt von Franz Schlosser

Reclam

Für meine Enkelin Amalia Helene

RECLAMS UNIVERSAL-BIBLIOTHEK Nr. 19271

2015 Philipp Reclam jun. GmbH & Co. KG,

Siemensstraße 32, 71254 Ditzingen

Umschlagabbildung: Hans Traxler

Druck und Bindung: Canon Deutschland Business Services GmbH,

Siemensstraße 32, 71254 Ditzingen

Printed in Germany 2018

RECLAM, UNIVERSAL-BIBLIOTHEK und

RECLAMS UNIVERSAL-BIBLIOTHEK sind eingetragene Marken

der Philipp Reclam jun. GmbH & Co. KG, Stuttgart

ISBN 978-3-15-019271-9

Auch als E-Book erhältlich

www.reclam.de

1 De Cinerella apologus

Uxor viri divitis in morbum incidit. Moritura, filiolum ad lectum vocavit et ei dixit: »Cara filia, si proba et pia manebis, Deus bonus semper tibi aderit. Ego de caelo despiciam teque protegam.« Quo dicto oculos operuit et animam exspiravit. Puella cottidie sepulcrum matris adibat et flebat et proba et pia manebat. Postquam sol vernus sepulcrum nivibus hiemis veste alba contectum spoliavit, vir iterum feminam matrimonio sibi iunxit.

Femina duas filias secum in matrimonium duxit, quarum cutis candida, quarum corda autem improba et pernigra erant. Cinerella in futurum durum prospiciebat. Cui sorores ex noverca susceptae: »Num vacca stulta una cum nobis in eadem domo habitabit!? Panem edere vult, sed panem ei labore parari oportet – eiciamus servam culinariam!« Bellas vestes ei dempserunt, amiculum linteum canum ei induerunt, pedibus eius soleas ligneas adaptaverunt. Tum: »Aspicite bellam regiam virginem exornatam!« sorores ex noverca susceptae clamaverunt. Deinde puellam derisam in culinam duxerunt. Cui a mane usque ad vesperum labores molesti suscipiendi erant: Oportebat, ut bene mane surgeret, aquam ferret, ignem faceret atque aleret, cibos coqueret, linteum lavaret. Praeterea sorores quidquid aegritudinis, quam afferre ei possent, afferebant, miserandam illudabant, pisa et lentas in cinerem iniciebant, ut misera legumina colligeret. Vesperi lassitudine confecta lecto privata est et iuxta focum in cinere cubare debebat. Cum speciem pulveream et sordidam praeberet, »Cinerella« appellabatur.

Quondam accidit, ut pater mercatum appetiturus esset. E privignis quaesivit, quae dona sibi afferri vellent. »Bella

vestimenta« prima, »margaritae et gemmae« secunda dixit. »At tu, Cinerella, quid vis tibi afferam?« – »Pater, primum ramulum, quem domum revertens petaso tanges, mihi quaeso defringe.« Sororibus ex noverca susceptis igitur bella vestimenta, margaritas, gemmas emit rediensque, cum equo per dumetum virens veheretur, coryli ramulus eum tetigit petasumque eius a capite destrinxit. Ramulum defregit et secum duxit. Domum reversus privignis, quae optaverant, Cinerellaeque coryli ramum donavit. Cui gratiis actis Cinerella ad sepulcrum matris iit, ramum sevit, lacrimis profudit, quibus sarmen aspersit. Quod sarmen crevit bellaque arbuscula ex eo facta est. Quam Cinerella ter cottidie appetebat. Flebat atque orabat et numquam non avicula alba ad arbusculam volabat. Quotienscumque Cinerella dicebat, quae optaret, avicula optata de arbuscula ei deiciebat.

Nunc factum est, ut rex diem festum triduanum institueret, ad quem omnes bellae virgines in regno habitantes invitatae erant, ut filius eius sponsam sibi eligeret. Sorores ex noverca susceptae ex invitatione magnam laetitiam ceperunt. Cinerellam advocaverunt. Cui »Pecte comam nostram«, inquit, »calceos purga, fibulas firma. Diem festum in domo regia enim celebrabimus.« Cinerella dicto sororum audivit, flevit autem, quod etiam libenti animo saltatum isset. Novercam rogavit, ut et ipsa veniam saltatum eundi acciperet. Sed illa: »Cinerella«, inquit, »re verane pulvere sordibusque sparsa nuptiis interesse vis? Nec habes vestimenta nec calceos ad saltandum idoneos.« Cum autem implorare non desisteret, noverca postremo dixit: »Lancem lentium in cinerem infudi. Si lentes intra duas horas elegeris, tibi una nobiscum venire licebit.« Puella per posticum

in hortum iit et clamavit: »Venite, columbellae placidae, turtures, omnes aviculae caelum incolentes, adiuuate me ad lentes separandas et iniciendas:

in patinam bonas

in iugulum malas.«

Primum duae columbulae albae, tum turtures per fenestram in culinam volaverunt, deinde omnes caeli aviculae stridorem edentes involaverunt et circum cinerem con-sederunt. Columbulae capitula demiserunt et – pic pic pic – laborare coeperunt. Tum et ceterae – pic pic pic – ad opus aggressae sunt et bona granula electa in patinam immiserunt. Vix hora transierat, cum labore acto omnes rursus avolaverunt. Puella perlaeta novercae patinam apportavit spe ducta se nunc cum sororibus nuptiis interesse posse. Haec autem: »Minime vero, Cinerella«, inquit, »non habes vestimenta saltandique imperita es: Omnes ludibrio te habebunt.« Cinerella cum lacrimas effunderet, noverca: »Si inter horam«, inquit, »duas patinas lentium e cinere elegeris, tibi nos comitari licebit.« Secum cogitabat: »Hoc numquam terrarum fieri potest.« Postquam noverca duas patinas lentium in cinerem infudit, puella per posticum in hortum cucurrit et clamavit: »Venite, columbellae placidae, turtures, omnes avicellae caelum incolentes, adiuuate me ad lentes separandas et iniciendas:

in patinam bonas

in iugulum malas.«

Primum duae columbulae albae, tum turtures per fenestram in culinam volaverunt, deinde omnes caeli aviculae stridorem edentes involaverunt et circum cinerem con-sederunt. Columbulae capitula demiserunt et – pic pic pic – laborare coeperunt. Tum et ceterae – pic pic pic – ad

opus aggressae sunt et bona granula electa in patinas imiserunt. Nulla semi-hora temere intercessit, cum labore acto omnes rursus avolaverunt. Puella perlaeta novercae patinas apportavit spe ducta se nunc cum sororibus nuptiis interesse posse. Haec autem: »Nihil proficies«, inquit, »nobiscum venire non potes, quia vestimenta non habes et saltandi imperita es: nos tui puderet.« His verbis tergum ei obvertit et cum suis filiis superbis se proripuit.

Cum sola domi erat, Cinerella ad sepulcrum matris sub corylo situm iit et dixit:

»Arbuscula, amabo te,
aurea veste orna me.«

Avicula vestem auream et argenteam et calceos bombyce argentoque distinctos ei de corylo deiecit. Raptim vestem sibi induit et saltatum iit. Sorores et noverca autem eam non recognoscebant. Putabant hanc puellam bellissimam veste aurea ornatam reginam exteram neque Cinerellam esse. Quam domi in culina sordida sedere lentesque e cinere excipere opinione ducebantur. Regis filius Cinerellam petivit, manu duxit, ad saltandum invitavit. Aut cum ea, quam continuo manu tenebat, aut cum nulla saltare cupiebat. Omnibus eam ad choream dandam invitaturis dixit: »Haec mecum tantum saltabit.«

Usque ad vesperum saltavit. Cum domum capesseret, rex ei dixit: »Tecum ibo, te comitabor.« Percontari enim quis esset voluit. Haec autem effugit et columbarium appetivit. Regis filius exspectavit dum pater eius venerit. Cui dixit puellam ignotam in columbarium intravisse. Vetulus secum: »Fieri potest, ut de Cinerella agatur.« Ascia et dolabra columbarium destruxit – nemo autem in eo inerat. Cum in casam intrarent, Cinerellam veste sordida indutam in cinere

sedentem lucernulamque modice in fumario lucentem viderunt. Cinerella cito e postico columbarii exsiluerat, corylum appetiverat, bellam vestem sibi exuerat, in sepulcro matris deposuerat. Veste ab ave amota in cinere amiculo linteo cano vestita consererat.

Postridie, cum sollemnia de integro inciperent, parentibus sororibusque absentibus, Cinerella ad corylum cucurrit et dixit:

»Arbuscula, amabo te,
aurea veste orna me.«

Avis vestem multo superbiorem deiecit quam illam diei superioris. Cum hac veste induta ad sollemnia appareret, omnes pulchritudinem eius mirati sunt. Regis filius autem, qui adventum eius exspectaverat, cito manu eam duxit et unice saltavit cum ea. Omnibus bellam puellam ad choream dandam invitaturis dixit: »Haec mecum tantum saltat.« Cum vesperasceret, Cinerella aufugit. Regis filius eam secutus est, ut videret quam casam appeteret, sed anguilla citior elapsa est et in hortum post casam evanuit. Quo in horto magna arbor erat, quae pulcherrima pira ferebat. In ramos eius ascendit perniciousiter ut sciurus, et regis filius nesciebat, quo aufugisset. Exspectavit dum pater eius venerit. Cui: »Puella ignota aufugit«, inquit. »Puto eam in pirum insiluisse.« Pater secum: »Fieri potest, ut de Cinerella agatur.« Asciam et dolabra arborem cecidit, sed nemo in illa sedebat. Cum in culinam intrarent, Cinerellam veste sordida ut semper indutam in cinere iacentem viderunt. De parte postica arboris desiluerat, vestem bellam avi in corylo sedenti rettulerat, amiculum linteum canum rursus sibi induerat.

Tertio die parentibus sororibusque absentibus Cinerella iterum sepulcrum matris appetivit arbusculaeque dixit:

»Arbuscula, amabo te,
aurea veste orna me.«

Avis vestem ei deiecit – splendidio rem et lucidior em numquam antea habuerat. Et calcei omnino auri colore erant. Cum hac veste induta ad sollemnia matrimonialia apparet, omnes admiratione affectos lingua defecit. Regis filius cum ea tantum saltavit. Si quis ad saltandum eam invitavit, dixit: »Haec mecum tantum saltat.«

Cum vesperasceret, regis filius Cinerellam aufugientem domum comitari voluit. Quae autem tam cito elapsa est, ut eam cursu sequi non posset. Regis filius callidus autem scalis picem induci iusserat. Cum puella deorsum curreret, calceus sinister haesit. Regis filius calceolum aureum, qui erat lautus et concinnus, sublevavit. Postridie virum adiit, cui dixit: »Nullam aliam in matrimonium collocabo nisi eam, cuius pes huic calceo aptus sit.« Cum haec audirent, sorores exsultaverunt, nam pedes pulchros habebant. Maxima natu matre adstante ad calceum sumendum cubiculum appetivit. Sed calceus nimis parvus erat, pollicem pedis non capiebat. Mater filiae cultrum porrexit et dixit: »Fac pollicem amputes! Cum regina facta eris pedibus ire noniam debebis.« Puella sibi pollicem abscidit, pedem in calceum vi immisit, dolorem suppressit, regis filium ad fores stantem adiit. Qui cum marita futura abequitavit. Cum equo sepulcrum praeterveherentur, duae columbellae in corylo sedentes clamaverunt:

»Gu-gurru-gu, gu-gurru-go,
cruor inest in calceo.

Qui certe non est feminae
pede tam magno praeditae.«

Cum oculos in pedem eius coniceret, regis filius sangui-

nem ex eo effluentem conspexit. Equum circumegit et falsam maritam domum reduxit. Hanc non rectam esse dixit. Tum alteram sororem calceum sumere rogavit. Quae ad eum sumendum cubiculum appetivit. Calceus pollices capiebat, sed calx nimis magna erat. Mater filiae cultrum porrexit et dixit: »Partem calcis abscide! Cum regina facta eris pedibus ire noniam debebis.« Puella partem calcis abscidit, pedem in calceum vi immisit, dolorem suppressit, regis filium ad fores stantem adiit. Qui cum marita futura abequitavit. Cum equo sepulcrum praeterveherentur, duae columbellae in corylo sedentes clamaverunt:

»Gu-gurru-gu, gu-gurru-go,
cruor inest in calceo!
Qui certe non est feminae
pede tam magno praeditae.«

Regis filius oculos in pedem coniecit, cruorem ex eo effluentem tibialiaque alba rubefientia vidit. Equum circumegit et falsam maritam domum reduxit. »Neque haec recta est«, dixit. »Nonne tertiam filiam habes?« – »Nihil sane«, vir dixit, »parvam tantum sordidam Cinerellam uxoris mortuae filiolum – fieri autem non potest, ut ista tua desiderata sit.« Regis filius patrem rogavit, ut eam sursum adscendere iuberet, sed noverca: »Nullo pacto« inquit, »nimis sordida est, in publicum prodire non potest.« Institit autem, ut veniret, quam ob rem Cinerella advocanda erat. Manibus et facie lavatis regis filium adiit et caput inclinavit. Qui calceum aureum ei porrexit. Puella in scabello consedit, pedem e gravi solea lignea extraxit, in calceum immisit. Qui optime sedebat. Cum surgeret et regis filius faciem eius conspiceret, bellam puellam agnovit, cum qua saltaverat. »Haec«, clamavit, »sponsa recta!« Noverca et sorores exhorruerunt et mo-

lestia affectae palluerunt. Regis filius eam in equum imposuit et cum ea abequitavit. Cum equo corylum praeterverherentur, duae columbellae in eo sedentes clamaverunt:

»Gu-gurru-gu, gu-gurru-go,
cruor non est in calceo!
Qui calceus amabili
haud dubie est virgini.«

His verbis ambae de corylo devolaverunt Cinerellaeque in umeris assederunt et remanserunt, alia in dextro, alia in sinistro.

Die sollemnium matrimonialium agendorum sorores insidiosae venerunt, ut blanditiis et adsentationibus benevolentiam eius colligerent et divitiarum participes fierent. Cum coniuges ad ecclesiam accedentes, maxima natu a dextra, minima natu a sinistra, prosequerentur, columbae unicuique unum oculum rostro exciderunt. Columbae, cum ecclesiam relinquerent, maximae a sinistra, minimae a dextra eunti, alterum oculum rostro exciderunt. Igitur sorores ob malitiam et fallaciam per omnem vitam caecitate percussae erant.

2 De Niviella apologus

Quondam media hieme nivibus plumeis de caelo decidentibus regina quaedam ad fenestram sedebat, cuius margo ex ebena nigro facta erat, et suebat. Cum sueret et nives plumeas decadentes suspiceret, acu digitum vulneravit, ex quo tres guttae sanguinis effluerunt et in nivem deciderunt. Cum color ruber sanguinis in nive candida aspectum tam pulchrum praeberet, secum cogitavit: Utinam infans mihi esset candidus ut nix, ruber ut sanguis, niger ut margo fenestrae! Iam brevi post filiolum peperit, quae erat candida ut nix et rubra ut sanguis et quae capillos nigros ut ebum habebat et quam ea de causa »Niviellam« nominabat! Infante parta regina mortua est.

Anno post rex ad secundas nuptias transiit. Femina erat pulchra, sed etiam superba et insolens. Minime ferre poterat feminas, quae pulchritudine eam exsuperarent. Speculum mirificum habebat. Cum os suum in eo contemplabatur, dicebat:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Cui speculum respondebat:

»Regina, tu toto in regno pulcherrima.«

Quo responso contenta erat, nam sciebat speculum verum dicere.

Niviella autem pubescebat et venustior fiebat. Cum septem annos nata esset, bella ut dies clarus et pulchrior quam regina ipsa erat. Cum illa die quodam speculum suum roga-

ret:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Speculum respondit:

»Hic, regina, feminarum
tu bellissima cunctarum.
Sed Niviella multo te
bellior est haud dubie.«

Regina terrore percussa invidiaque corrosa est. Cum Niviellam conspiciebat, intestina in corpore eius rotabantur. Puella nimis odio ei erat. Invidia et superbia in corde eius ut herba inutilis luxuriari coeperunt. Die et nocte eam agitabant. Venatorem ad se vocavit, quem puellam in silvam abducere iussit, quod aspectum eius diutius non iam ferre poterat. Cui: »Occide eam«, inquit, »et pulmonem eius affer et iecur, ex quo intellegi posset te eam re vera interfecisse.« Venator voluntati reginae obtemperavit et puellam in silvam duxit. Cum cultro venatorio dstricto cor innocens Niviellae perfossurus esset, puella flere coepit et »O, bone venator«, inquit, »parce mihi. In silvam saevam incurram neque umquam domum revertam.« Puella, quia tam pulchra erat, misericordiam venatoris excitavit. Et ille: »Salutem pete, parva miseranda.« – »Bestiae ferae te mox comederint«, secum cogitavit. Tamen scrupulus ex animo ei evulsus est, quod parvam necare non debuit. Porcellum eo ipso puncto temporis transcurrentem cecidit, pulmonem et iecur excepit, reginae attulit, ut indicium ei praeberet, e quo intellegi posset se imperata fecisse. Femina malitiosa organa a coquo in aqua sale condita cocta comedit se pulmonem et iecur Niviellae comedisse opinans.

In silva magna ne musca quidem cum misera puella erat. Magnis angoribus pressa folia arborum spectabat plane ignorans quae hac in re facienda essent. Per lapides acutos et vepres spinosos currebat. Bestiae ferae praetereuntes ei dolorem non inferebant. Cucurrit usque ad vesperum in euntem, dum sustinere se potuit. Repente parvam casellam conspexit, in quam intravit, ut quieti se daret. In casella omnia pusilla erant, sed, supra quam credibile est, concinna et munda. Mensula mappa alba tecta septem catillulis exstructa erat, quorum cuique cochlearulum inerat, praeterea septem cultellis, septem fuscinellis, septem pocellis. Ad parietem septem lectuli continui positi linteis niveis contacti erant. Niviella fame et siti pressa ex omnibus catillis paulum oleris et panis edit et quoque e pocillo guttam vini bibit, ne cenam unius solius comederet. Deinde in lectulo somno se tradidit. Nullus autem corpori eius apte conveniebat. Primus nimis longus, alter nimis parvus, septimus corpori eius accomodatus erat. In eo se continuit, in fidem Dei se commisit, somnum cepit.

Concubia nocte, postquam aes e montium cavernis elicerunt, septem nani, casellae domini, domum redierunt. Septem candelulas suas accenderunt. Cum fieret lux, viderunt aliquem in casella fuisse, nam res, cum casam reliquissent, in alio ordine redactae erant. Quorum primus: »Quis«, inquit, »in sellula mea sedit?« Alter: »Quis e catillo meo edit?« Tertius: »Quis paniculum meum arrosit?« Quartus: »Quis partem mei oleris edit?« Quintus: »Quis furcilla mea usus est?« Sextus: »Quis cultello meo usus est?« Septimus: »Quis e pocillo meo bibit?« Tum primus respexit. Cum sulcum in lecto suo videret »Quis«, inquit, »pedem in lectulo meo posuit?« Ceteri accurrerunt et cla-

maverunt »Et meo in lectulo aliquis iacuit.« Cum septimus autem lectum suum inspiceret, Niviellam vidit in eo iacentem et dormientem. Ceteros vocavit. Qui accurrerunt, admiratione affecti clamaverunt, septem candelulas petiverunt, quibus Niviellam lustraverunt. »Mehercule«, clamaverunt, »Quae pulcherrima puella!« Magna laetitia perfusi eam non e somno suscitaverunt, siverunt in lectulo quiescere pergeret. Septimus nanus autem unam horam in singulis lectis sodalium pernoctavit.

Primo mane Niviella somno excitata est. Cum septem nanos conspiceret, exhorruit. Qui autem comiter eam interrogaverunt: »Quid est tibi nomen?« – Et haec: »Nomen mihi est Niviella.« – »Qua via huc venisti?« nani rogaverunt. Quibus narravit novercam eam interfici in animo habuisse, venatorem autem vitae eius parcuisset. Addidit se totum diem cucurrisse dum casellam nanorum indagavit. Tum nani: »Si negotia domestica curabis, si coques, si lectos sternes, si lavabis, sues, texes, si ordinem et munditiam conservabis, apud nos manere poteris nullaque re carebis.« – Et Niviella: »Profecto«, inquit, »libentissimo animo« et apud nanos mansit. Ordinem domesticum tenebat: Mane nani montes appetebant ad aes et aurum e cavernis elicendum. Cum vespere reveniebant, sciebant vespernam ad sumendam paratam esse. Totum diem puella sola in casella erat. Boni pumili his verbis eam monebant: »Cave novercam tuam. Quae mox sciet te hic versari. Nemini ianuam pulsanti aditum da!«

Regina autem, quae, postquam, ut opinabatur, pulmonem et iecur Niviellae comedit, se denuo primam et pulcherrimam esse putabat, ad speculum adstitit et rogavit:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Et speculum:

»Hic, regina, feminarum
tu bellissima cunctarum.
Sed trans septem montes bella
apud nanos Niviella
vivit. Quae haud dubie
multo pulchrior est te.«

Metu perterrita est, quod non ignorabat speculum numquam falsum dicere. Cognovit venatorem eam fraudavisse Niviellamque adhuc vivere. Rebus ita stantibus denuo occisionem puellae machinabatur. Dum enim pulcherrima toto non erat in regno, invidia corrodebatur. Postquam malitiam commenta est, vultum coloravit vestemque institricis sibi induit, ut agnoscere non posset. Plane alia facta septem montes superavit, casellam nanorum appetivit, ianuam pulsavit, clamavit: »Bellas res venales!« Niviella per fenestram prospexit et »Bona femina«, inquit, »quid venale proponis?« – »Bonas merces, bellas merces«, respondit, »lineas discolores.« Quarum unam bombyce catagrapho textam deprompsit. Niviella secum: »Huic bonae feminae simplici aditum dare possum.« Fores reclusit et bellam lineam emit. »Parvula«, vetula inquit, »Qua tu es specie! Age, sine papillas accurate tibi compescam.« Niviella, quae nihil pravae cogitationis erat, ante eam se posuit, ut linea recte constringeretur. Vetula autem miseram tanta vi constrinxit, ut spiritus eam deficeret. Exanimata corruit. »Pulcherima feminarum fuisti«, vetula inquit et foras se proripuit.

Brevi post, hora vespertina, septem nani domum revererunt. Perterriti sunt, cum suam Niviellulam in solo iacentem conspicerent motu vacuum quasi mortuam. Sursum eam sustulerunt. Viderunt eam nimia vi constrictam qua re lorum secuerunt. Niviella spiritu ducto paulatim animum recepit. Cum nani audirent, quae evenissent: »Institrix ista«, inquit, »sine dubio regina impia erat – nemini aditum da nisi tecum sumus.«

Mala femina autem, postquam domum revenit, ante speculum se posuit et rogavit:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Responsio iterum eadem fuit:

»Hic, regina, feminarum
tu bellissima cunctarum.
Sed trans septem montes bella
apud nanos Niviella
vivit. Quae haud dubie
multo pulchrior est te.«

Cum hoc audiret, sanguis cor terrore percussus inundavit, nam cognovit Niviellam animum recepisse. Quae »Nunc«, inquit, »cogitatione assequar quomodo te perdam«. Arte magica, cuius perita erat, pectinem veneno imbutum paravit. Quo facto alterius vetulae cultum induit. Septem montes superavit, casellam nanorum appetivit, ianuam pulsavit, clamavit: »Bellas res venales!« Niviella per fenestram prospexit et dixit: »Procede, nemini aditum dare mihi licet.« »Tibi certe licebit pectinem spectare.« Quem veneno imbutum his verbis e fiscina exprompsit et sursum sustu-

lit. Puella adspectu pectinis in fraudem deducta ianuam aperuit. Postquam inter se de pretio convenerunt, vetula: »Sine te nunc recte pectam.« Cuius faciendi miseranda Niviella nil mali praesagiens vetulae facultatem dedit. Sed vixdum pectinem in comam immiserat, cum venenum profecit et puella de mentis statu deiecta decidit. Et malitiosa femina: »O te omnium pulcherrimam«, inquit, »nunc actumst de te.« His verbis abiit. Forte fortuna vespascebat septemque nani domum revererunt. Cum Niviellam inanimam in solo iacentem viderent, statim novercam suspectam habuerunt. Casellam perscrutati sunt pectinemque veneno imbutum reppererunt. Vixdum e coma eum extraxerant, cum Niviella ad se rediit et narravit quae accidissent. Nani denuo eam monuerunt, ut nemini ianuam aperiret.

Regina domi ante speculum se posuit et rogavit:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Idem responsum accepit:

»Hic, regina, feminarum
tu bellissima cunctorum.
Sed trans septem montes bella
apud nanos Niviella
vivit. Quae haud dubie
multo pulchrior est te.«

Cum speculum haec verba dicere audiret, horruit et ira tremuit. Tum »Niviella moriatur«, clamavit, »ut ego ipsa peream.« Quo dicto occultam cellam desertam appetivit malumque veneno imbut. Malum, quod buccas albas et

rubras habebat, aspectum pulchrum praebebat. Cuicumque, malum qui conspiciebat, edere lubebat. Qui mali quidem particulam tantum edebat, ad mortem se offerebat. Malo tincto noverca vultum coloravit vestemque rusticae sibi induit, septem montes superavit, casellam nanorum appetivit, ianuam pulsavit. Niviella caput ex fenestra emovit: »Septem nani mihi interdixerunt« inquit, »ne quemquam intromitterem.« – »Nihil impedio«, rustica dixit. »Mala mea ad omnes casus vendam. Ecce! Unum tibi dono dabo.« – »Gratia recuso«, Niviella inquit, »mihi non licet dona accipere.« – Et vetula: »Timesne, ne malum veneno tinctum sit? Seco malum duas in partes: partem rubram ede tu, albam ego edam.« – Malum autem ita elaboratum erat, ut pars rubra tantum veneno tincta esset. Cum Niviella desiderio belli mali edendi capta rusticam de eo edere videret, invitamento resistere noniam potuit manumque ad partem mali venenatam tendit. Vix offam in ore habuit, cum exanimata corrui. Regina eam oculis atrocibus intuita est, cachinnum sustulit, hoc dixit: »Candida ut nix, rubra ut sanguis, nigra ut ebenum! Nunc nani quidem te e somno excitare noniam poterunt.« Domum reversa speculum interrogavit:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Hoc tandem respondit:

»Regina, tu toto in regno es pulcherrima.«

Quod responsum cor invidiosum reginae aliquatenus permulsit et placavit.

Cum nanuli vespere domum revenirent, Niviellam in

solo iacentem conspexerunt ex ore animam noniam spirantem. Mortua erat. Puellam levaverunt, venenum quaesiverunt, castulam eius substrinxerunt, comam eius pexerunt, aqua et vino eam lavaverunt: sed operam frustra consumpserunt. Mortua erat, mortua manebat. In ferculo puellam imposuerunt, ad quod omnes consederunt, tres dies Niviellam defleverunt. Quam sepulturi erant. Cum puella autem speciem hominis vivi praeberet et bellae genae eius rubrae essent, omnes uno ore consenserunt: »Hanc humo nigro mandare minime possimus.« Arcam vitream perspicuam fieri iusserunt, Niviellam in ea imposuerunt, nomen eius litteris aureis arcae inscripserunt, eam filiam regiam esse apposuerunt. Deinde arcam in monte posuerunt, quam unus eorum continuo custodiebat. Bestiae quoque venerunt ad Niviellam deflendam, primum ulula, tum corvus, deinde columbella.

Niviella diu in arca iacebat neque in tabem resolvebatur. Dormire videbatur, nam adhuc candida ut nix, rubra ut sanguis, crinibus ebene nigrrioribus erat. Accidit, ut regis filius in silvam incideret adque nanorum casellam pernottatum veniret. Arcam in monte positam et bellam Niviellam in ea iacentem conspexit et quae arcae aureis litteris inscripta erant legit. Tum nanis: »Concedite mihi arcam«, inquit, »quaecumque poscatis vobis pro ea dabo.« Cui nani autem responderunt: »Nequaquam eam vendimus.« Tum puer regis: »Dono eam mihi date. Niviellae aspectu carens vivere non possum. Maxime eam honorabo et colam.« His verbis misericordiam nanorum commovit, qui arcam ei dederunt. Quam regis filius servos iussit umeris asportare. Factum est, ut pedem ad fruticem offenderent. Mali volva veneno imbuta, quam Niviella mordicus abstulerat, e cer-

vicibus elapsa est. Et iam brevi post oculos aperuit, operculum arcae sursum protrusit, se erexit, revixit. »Ubinam terrarum sum?«, clamavit. Et regis filius laetitia effusus: »Mecum es«, inquit. Tum narravit, quae accidissent, et dixit: »Tu mihi omnibus in orbe terrarum gratior. Veni mecum in domum regiam patris mei. Velim te uxorem ducere.« Niviella amore capta eum secuta est. Sollemnia nuptiarum magno cum splendore magnaque pompa instituta sunt.

Ad festum celebrandum et noverca nefaria Niviellae invitata est. Bellis vestimentis induta ad speculum adstitit et dixit:

»Speculum, parieti
quod affixum es, dic mi,
quae in regno femina
omnium pulcherrima.«

Speculum respondit:

»Hic, regina, feminarum
tu bellissima cunctarum.
Sed regina recens te
multo bellior vera re.«

His verbis auribus perceptis mala femina maledictum iactavit. Angor animum eius occupavit. Primum nuptiis interesse noluerat, sed utique reginam recentem videre cupiebat. Cum in arcem intraret, Niviellam cognovit. Timore et terrore percussa stabat motu carens. Et iam socci ferrei igne carbonis fervefacti forcipibus allati et ante eam positi sunt. Quibus soccis candentibus sumptis tamdiu saltare debuit dum mortua corruit.

3 De Hannulo Gretulaque apologus

Ante magnam silvam lignator cum uxore suisque duobus liberis vivebat. Puerulus Hannulus vocabatur, puellae nomen Gretula erat. Cum caritas increbresceret, cibaria paulatim deficiebant familiaeque victum praebere vir noniam poterat. Nocte anxio et sollicito animo in lecto se volutabat, gemit, uxori dicebat: »Quid de nobis nunc fiat? Utnam terrarum miseris liberis nostris victum praebemus, si ne suppeditat quidem ad nos ipsos alendos?« – »Hoc, mi marite, mihi in mentem venit«, femina dixit. »Cras primo diluculo liberos in silvam densissimam ducemus. Ignem eis accendemus et cuique frustum panis dabimus. Quo facto ad opus aggrediemur et eos solos relinquemus. Viam, quae domum fert, non invenient nosque eis liberati sumus.« – Et vir: »Non ita«, inquit, »minime hoc faciam. Non sustineo liberos meos solos in silva relinquere. Bestiae ferae eos indagarent et lacerarent.« – »O te asinum!«, inquit, »re ita stante nos omnes fame peribimus, tu tabulas sarcophagi runcinare incipere iam potes.« Exercuit eum dum assensus est. »Tamen liberorum infelicitium miseret me«, vir dixit.

Liberi fame pressi, qui obdormiscere non poterant, audiverant quod noverca patri dixisset. Gretula effusissime flevit et: »Nunc«, inquit, »actum est de nobis.« – Cui: »Tace, Gretula«, Hannulus inquit, »noli sollicitari, ego tibi adero.« Postquam parentes obdormiverunt, e lectulo surrexit, vestem sibi induit, posticum patefecit, furtim digressus est. Luna clarissima lucente silices albi ante casam dispersi ut sestertii splendebant. Hannulus corpus inclinavit et quam plurimos in bursam immisit. Quo facto rediit et Gretulae dixit: »Bono sis animo, cara sororcula, placideque obdor-

miscere. Deus nos non deficiet.« Tum denuo corpus quieti dedit.

Prima luce, iam ante solis ortum, femina venit ambosque liberos dormientes excitavit. »E lecto surgite, umbraticuli, in silvam eamus lignum petatum.« Tum utrique his verbis frustulum panis dedit: »Ecce vobis cibus meridianus. Quem ne confestim consumpseritis, nil amplius enim accipietis.« Gretula panem sub subligaculo recondidit, quia silices in busca Hannuli inerant. Tum cuncti in viam se dederunt silvamque appetiverunt. Postquam paulisper ierunt, Hannulus constitit casellamque respectavit, quod iterum iterumque fecit. Cui pater: »Quidnam spectas«, inquit, »curnam iterum iterumque in itinere consistis? Cave ne pedum oblitus sis!« – Et Hannulus: »Prospecto meum felem catulum album, qui in tecto insidens valedicere mihi velit.« Sed noverca: »Homo stulte, non catulus tuus, sed sol matutinus est, qui in fumariorum se fundit.« Hannulus autem minime catulum retrospectaverat. Qui immo vero silices nitentes alium post alium e busca in viam iecerat.

Cum mediam silvam appetivissent, pater dixit: »Nunc lignum petite. Ignes faciam, ne frigeatis.« Ramalia a Hannulo Gretulaque lecta incensa sunt. Cum flamma flagraret, femina dixit: »Nunc, liberi, corpus ad ignem prosternite et requiescite. Nos in silvam imus lignum caesum. Labore confecto reveniemus vosque abducemus.«

Hannulus Gretulaque igni assidebant. Tempore meridiano uterque frustulum panis edit. Cum ictus securis lignae auribus perciperent, credebant patrem suum prope adesse. Securis lignae ictus non audiebant sed rami ad arborem aridam alligati, quem ventus verberabat. Post aliquantum temporis oculi ceciderunt artoque somno liberi fatigati oppressi

sunt. Cum demum somno excitarentur, nox caliginosa iam imminebat. Gretula flere coepit et »Utnam«, inquit, »e silva evadamus?!« – Hannulus autem eam his verbis consolatus est: »Exspecta paulisper. Ubi luna orietur, viam reperiemus.« Postquam luna impleta est, Hannulus sororculam manu tenens silices sequebatur. Qui ut sestertii modo cusi albicabant viamque eis monstrabant. Totam per noctem processerunt et prima luce ad casam patris advenerunt. Ianuam pulsaverunt. Cum noverca eam aperiret et Hannulum Gretulamque conspiceret, dixit: »O vos liberos improbos! Quid tam diu in silva dormivistis? Putabamus vos noniam reventuros esse.« Pater autem gaudebat. Conscientia animi enim excruciatu erat quod eos solos reliquisset.

Iam brevi post rursus in angustiis versabantur liberique nocte matrem patri in lecto iacenti hoc dicere audiverunt: »Omnia rursus comesa sunt. Nil nisi dimidium panem reliquum habemus. Liberis e domo abeundum est. Remotiorem silvae in partem eos ducamus, ne rursus viam ex ea reperiant. Saluti nostrae consulere debemus.« Suspenso et sollicito animo pater secum: »Melius esset si ultimum frustum tuis liberis impertires.« Sed uxor verbis eius aures non praebuit, ignominiam ei imposuit, conviciis eum consecuta est, misericordiam ei crimini dedit. Incepta persequenda sunt. Qui semel voluntati uxoris cessit, cui et iterum voluntati eius cedendum est.

Liberi autem nondum dormiverant et audiverant, quae dicta erant. Cum parentes somnum cepissent, Hannulus iterum e lecto surrexit, ut iterum silices colligeret. Sed noverca portam recluserat et Hannulus foras exire non potuit. His verbis autem sororculam consolatus est: »Noli lacrimare, Gretula. Bono animo dormias, Deus bonus nobis aderit.«